

7. Episcopus deponit pluviale , et accipit linteum ex abaco allatum per aliquem Capellanum , quo præcingitur ; et retinens in capite mitram simplicem , accedit ante primum pauperem , et genuflexus super pulvino , quem Cæremoniaris , sive aliquis Capellanus continuo trahit , afferentibus pelves et urceos scutiferis , clericali habitu indutis , lavat illi pedem dexterum , quem lotum tergit et osculatur , tradens ei eleemosynam : idem facit successive singulis. Scutiferi autem si tot erunt , singuli pro singulis pauperibus serviunt ; si pauciores , mutantur per vices.

8. Lotis omnibus , revertitur Episcopus ad sedem suam , ubi lavat manus , scutifero altero , seu nobili ante eum lancem cum urceo portante cum solitis cæremoniis. Et illico adsunt duo ceroferrarii cum candelabris et cereis accensis , Cæremoniaris eos ducente ante Episcopum , qui , deposito linteo , et accepto pluviali , ac deposita mitra , surgit , et dicit voce intelligibili *Pater noster* , quod secrete complet usque ad Versiculum *Et ne nos , etc.* , quem alte pronuntiat , respondentibus cantoribus *Sed libera nos a malo* , deinde Versiculos et Orationem , prout in Missali.

9. Quibus finitis , Episcopus alte elevans manum , facit signum crucis versus omnes existentes in dicta aula , nihil dicens ; et statim deponit sua paramenta , prout pariter ejus ministri , et recedunt.

10. Si Canonici erunt , quibus lavandi sunt pedes , sedebunt in dicto scamno in eorum habitu Canonicali , nudatis pedibus dexteris , et Episcopus eodem ordine lavabit illis pedes , terget et osculabitur , prout de pauperibus dictum est , incipiendo a digniori , sed non datur eleemosyna. In cæteris servantur omnia supradicta : absente vero Episcopo , et in Collegiatis , servantur Rubricæ Missalis.

## CAPUT XXV.

Præparanda pro Officio feriæ sextæ in Parasceve , Episcopo celebrante. Altaris ornatus. Paramenta Episcopi et ministrorum sint nigri coloris. Ordo procedendi ad Ecclesiam. Expleta Nona , Episcopus induitur paramentis Missalibus nigris. Orat diutius super nudo genuflexorio ante altare. Quomodo assistat Lectionibus et Passioni. Diaconi munus circa ea , quæ dicenda sunt in tono Evangelii. Sermo quando habendus sit. Episcopus ubi cantet Orationes. Altare quomodo ornandum. Ordo detegendæ crucis , et procedendi ad ejus adorationem. Processio ad accipiendum calicem cum SS. Sacramento , quomodo ordinetur. Quæ observanda in loco , ubi repositum est SS. Sacramentum , in ipsa processione , et apud altare. Incensum quomodo ministretur. Ordo dicendi In spiritu humilitatis : Orate , fratres : Pater noster. Quomodo facienda elevatio hostiæ , atque ea sumenda sit. Cætera quo ordine fiant.

1. Si Episcopus velit ipsemet celebrare in die Parasceve , servantur infrascripta ; videlicet , altare , sedes Episcopi , sedilia Canonicorum et aliorum , ac tota tribuna sint penitus denudata.

2. In abaco mappa superponatur , sed a nulla parte pendeat , ubi erit tantum pelvis cum urceo ad lavandas manus , et alia ad recipiendum pecunias , quæ cruci offeruntur , in ipso , et in altari candelæ ex cera communi extinctæ super candelabris sint , sed nullæ imagines , aut alia ornamenta super altari collocentur , præter crucem et candelabra ; et hæc non sint argentea.

3. Præparetur pannus , vel tapes oblongus , seu pannus violaceus , extendendus suo tempore pro adoratione crucis ; magnus item pulvinus , ex serico villosio violaceo auroque factus , ubi crux erit ponenda , et velum album serico violaceo intertextum , super eo explicandum ; faldistorium nudum , super quo Episcopus ante altare genuflectat.

4. Paramenta autem Missæ erunt nigri coloris, et pro Diacono et Subdiacono planetæ ante plicatæ, et pluviale ejusdem coloris pro Presbytero assistente.

5. Hora competenti Episcopus veniet ad Ecclesiam cum sua cappa, associatus more solito, ut in Matutinis hujus hebdomadæ: orat ante SS. Sacramentum et altare majus, et intrat secretarium, ubi pariter altare et omnia nuda, præter crucem velatam, et cerei extincti super eo: ibi cum cappa ascendit ad sedem suam nudam, ibidem præparatam, et stans, detecto capite, versus altare dicit secreta *Pater noster*. Quo finito, chorus recitat Nonam. Incepto primo Psalmo, Episcopus sedet: interim Canonici, Evangelium et Epistolam cantaturi, capiunt sua paramenta, præter manipulum et planetam, et sic in albis remanent, donec erit tempus parandi Episcopum.

6. Cum dicitur in fine Nonæ *Christus factus est, etc.*, Episcopus genuflectit ante altare super faldistorio nudo, capite detecto, et finito Psalmo *Miserere mei Deus, etc.*, dicit genuflexus Orationem *Respice, quæsumus Domine, etc.*, mox revertitur ad dictam sedem, deponit cappam, et sedens, lavat manus, more solito. Deinde per Diaconum et Subdiaconum paratur solitis paramentis, exceptis sandaliis et chirotheis, quibus hodie non utitur; dicit Orationes solitas ad paramenta, non tamen Psalmum *Quam dilecta, etc.* cum aliis. Episcopus et omnes utuntur paramentis nigris, si haberi possint, et deficientibus nigris, coloris violacei.

7. Cum Episcopus incipit parari, Canonici pariter capiunt paramenta convenientia, prout suo loco dictum est. Diaconi habeant planetas ante pectus plicatas, et Canonicus Presbyter, digniori Presbytero proximus, servit hac die Episcopo in assistentia cum pluviali nigro. Episcopus paratus sedet aliquantulum: Diaconus et Subdiaconus capiunt manipulos et planetas ante plicatas.

8. Si erit Archiepiscopus, præcedet Capellanus cum cruce velata inter duos ceroferarios cum candelis extinctis, et sine

incenso, et procedentibus clero ante crucem, et post crucem Canonicis paratis, procedet ad altare more solito. Si non erit Archiepiscopus, non portatur crux.

9. Episcopus ante altare procumbit, et genuflexus super nudo genuflexorio, deposita mitra, diutius orat, quod et omnes alii faciunt: et interim extenditur per Acolythos, aut Cæremoniarios mappa super altari.

10. Postquam Episcopus oraverit, surgit, osculatur altare, et reassumpta mitra, sedet super nuda cathedra, seu faldistorio, posito in cornu Epistolæ altaris, ita ut faciem vertat ad cornu Evangelii; neque hac die umquam sedet in sede sua Episcopali in hoc Officio, nisi in fine, ut infra.

11. Presbyter assistens sedet super primum gradum ad pedes Episcopi, et post eum in eodem gradu Diaconus et Subdiaconus, et prope ipsos duo alii Diaconi assistentes, ubi solent assistere.

12. Tunc unus ex Beneficiatis cotta indutus, comitante Cæremoniaro, cum debitis reverentiis, sibi ipsi librum tenens, dicit primam Prophetiam sine titulo, in loco ubi legitur Epistola, et sine osculo manus Episcopi.

13. Qua finita, relinquit librum in manu Cæremoniaro; et factis debitis reverentiis, revertitur ad locum suum. Episcopus vero, dum Tractus cantatur, legit ex libro dictam Prophetiam sine candela accensa, ministris tamen assistentibus circa eum stantibus.

14. Finito Tractu, Episcopus surgit, et omnes surgunt: amovetur faldistorium, et stans ibidem versus altare, dicit *Oremus*, et Diaconus post Episcopum dicit *Flectamus genua*, et omnes genuflectunt, excepto Episcopo, Subdiaconus vero post Diaconum dicit *Levate*, et omnes surgunt; et Episcopus dicit Orationem.

15. Interim Subdiaconus deponit planetam, et portans et tenens librum, cantat Epistolam, sive alteram Prophetiam in loco jam dicto; qua finita, absque osculo manus, resumat planetam, et redit ad locum suum. Episcopus sedet, et

dum cantatur Tractus, legit Epistolam et Tractum, servantibus sibi solitis ministris.

16. Dum per chorum cantatur Tractus, tres Capellani, seu cantores, qui Passionem sunt cantaturi, parantur in sacristia in habitu Diaconali, præter dalmaticam, prout in Dominica præterita dictum fuit, coloris tamen nigri; et circa finem Tractus, procedunt eodem ordine cum tribus Capellanis sine candelabris et incenso, et cantant Passionem, prout ibi dictum fuit, sed non osculantur manum Episcopi.

17. Episcopus et omnes, cum inchoatur Passio, surgunt et stant, detecto capite, usque ad ejus finem: et Episcopus apud altare, in cornu Epistolæ, legit secreto ex libro, super altare posito, Passionem usque ad finem, versus aliquantulum ad ipsos cantantes: et ministri sacri stant juxta Episcopum dum legit Passionem, pro situ loci in plano, ordine suo.

18. Cum autem cantores pervenerint ad ea verba *Et inclinato capite tradidit spiritum*, Episcopus et omnes in locis suis genuflectunt, sic parumper manentes, vel orantes, et surgente Diacono, seu cantore, qui Evangelistæ personam gerit, omnes surgunt, stantes, et audientes reliquum Passionis, usquequo legendum sit in tono Evangelii. Tunc Episcopus et omnes sedent, et cantores, qui cantaverunt Passionem, cum debitis reverentiis discedunt.

19. Tunc Diaconus Evangelii, deposita planeta, et accepta altera complicata super humerum sinistrum, portat librum ad altare, dicit genuflexus *Munda cor meum, etc.*, reasumit librum, et vadit cum Subdiacono et duobus Acolythis sine luminibus, et sine incenso, et nulla petita benedictione, cantat reliquum Passionis in tono Evangelii. Quo finito, Diaconus cum aliis, qui secum erunt, factis debitis reverentiis, revertuntur ad loca sua.

20. Tunc, si sermo est habendus, ducitur sermocinator in habitu convenienti ante Episcopum per Cæremoniarium, qui genuflexus petit Indulgentias absque benedictione,

et cum debitis reverentiis vadit ad pulpitum, et habet sermonem. Episcopus tunc sedet in eodem cornu Epistolæ, sed versus ad sermocinantem; alii omnes, sedente Episcopo, sedent. Statim, finito sermone, sermocinator pronuntiat Indulgentias ab Episcopo concessas.

21. Non fit confessio, nec absolutio, nec datur benedictio, sed statim Episcopus surgit, deposita mitra, et remota cathedra, et stans in eodem loco, cantat ex libro Orationes, ut in Missali. Diaconus dicit *Flectamus genua*, Subdiaconus vero *Levate*, advertendo, ubi dicendum erit, prout in Missali.

22. Finitis Orationibus, Episcopus deponit planetam apud faldistorium: et interim, dum dicuntur ultimæ Orationes, ministri extendunt tapete magnum, vel pannum violaceum ante gradus altaris, vel Presbyterii, et super primos ejus gradus ponunt pulvinar amplum, et super eo velum, seu mappam sericam, ut supra, ubi ponenda erit crux.

23. Episcopus, deposita planeta, vadit ad angulum posteriorem cornu Epistolæ, facie ad populum versa. Tunc Sacrista capiens crucem de medio altaris, illam porrigit Diacono, qui eamdem dat Episcopo, qui eam devote accipiens, manu dextera detegit illius summitatem usque ad transversum crucis, et ambabus manibus illam elevans, voce gravi cantat *Ecce lignum Crucis*, secundum notas, in Missali Romano appositas, Presbytero assistente librum tenente; quod cum dicit, omnes, detecto capite, surgunt: Cæremoniarium et alii Capellani, qui circa altare manent, prosequuntur in cantu verba *In quo salus mundi pependit*, et chorus respondet *Venite, adoremus*, quo casu omnes genuflectunt, excepto Episcopo celebrante. Idem secundo facit, et cantat Episcopus discooperiendo brachium dexterum crucis, et caput figuræ Crucifixi, procedens ad anteriorem partem anguli prædicti; et tertio discooperiendo totam crucem ante medium altaris, semper altius vocem extollendo, et idem respondetur per Capellanos et chorum, ut prima vice: et pariter, ad illa verba *Venite, adoremus*, semper omnes genuflectunt.

24. Quibus peractis, ipse Episcopus celebrans, solus absque ministris procedit ad locum, ubi est positum pulvinum antedictum, portans crucem, ambabus manibus, elevatam devote, nullam tunc altari faciens reverentiam, genuflexus ponit et firmat cordulis, si opus est, supra dictum pulvinum, adjuvante Cæremoniaro, qui paulo ante ponere debet prope ipsum pulvinum lancem ad dexteram adorantis, ubi pecuniæ, quæ cruci offeruntur, ponantur.

25. Deinde Episcopus redit ad suum faldistorium, ubi ministrantibus scutiferis, deponit calceos; et sic, detecto capite, descendit ad crucem adorandam: medius inter duos Diaconos assistentes, et gradiens per dictum tapete, seu pannum, ter cum debita distantia genuflectit ante crucem, aliquantulum pro unaquaque vice orando; et demum crucem osculatur: prius tamen offert, seu offerre facit in lancem, ibi positam, pecunias ad libitum.

26. Postquam Episcopus adoravit crucem, revertitur ad suum faldistorium in cornu Epistolæ, reassumit calceamenta, et planetam, et mitram, et sedens legit Improperia, ministrantibus solitis Capellanis.

27. Interim Canonici et alii Beneficiati, et de clero Ecclesiæ, ordine eorum, deinde Officiales, et nobiles laici adorant ordine, prout in die Cinerum, pro capiendis cineribus dictum fuit; quod si fortasse adesset Gubernator principalis, aut aliquis maximus vir, vel Princeps, qui alias soleat habere honorem ante Canonicos, in hoc actu ibit post Canonicos, sed ante alios de clero, quia est actus humilitatis, in quo laici debent clericis deferre.

28. Circa finem adorationis accenduntur cerei altaris, abaci et tribunæ. Diaconus cum Subdiacono explicat mapam lineam super altari. Diaconus portat ex abaco corporalia cum purificatorio, quæ extendit super altari: tunc enim transfertur a ministro, vel Cæremoniaro, Missale ad cornu Evangelii cum cussino, vel legili. Finita adoratione, Diaconus reportat, nemini faciens reverentiam, crucem ad altare, omnibus genuflectentibus, ut supra.

29. Episcopus sedens lavat manus, et imponit thus in thuribulum, more solito.

30. Interim ordinatur processio ad accipiendum SS. Sacramentum de loco, ubi pridie repositum fuerat, eaque de causa jam præparata esse debent decem, seu ad minus octo funalia ceræ albæ; item baldachinum et duo thuribula cum incenso et igne. Præcedet Subdiaconus paratus cum cruce denudata, inter duos ceroferarios, cereos accensos deferentes, et sequuntur primo clerici et Beneficiati, seu Mansionarii, deinde Canonici bini, secundum eorum ordinem; videlicet primo juniores, deinde digniores, tum Diaconus et Subdiaconus cum Presbytero assistente, ultimo loco Episcopus cum mitra, medius inter Diaconos assistentes; et si fuerit Archiepiscopus, crux portabitur ante Canonicos; et cum discedunt, Episcopus, deposita mitra, et omnes reverentiam faciunt cruci cum genuflexione.

31. Cum Episcopus pervenerit ante fores sacelli, ubi est repositum SS. Sacramentum, deponit mitram, et statim ingressus sacellum, genuflectit et ante altare iterum genuflectit super pulvino, et orat parumper: mox surgit, et stans, imponit incensum, ministrante Presbytero assistente, in duo thuribula, nihil dicens: et rursus genuflexus super pulvino, incensat triplici ductu SS. Sacramentum, Sacrista aperiente capsulam, ubi includitur: et statim apponitur velum perpulchrum circa humeros Episcopi, et acubus firmatur, ut æqualiter hinc inde pendeat: tunc primus Diaconus assistens accipit SS. Sacramentum de dicta capsula, illudque in manibus Episcopi, adhuc genuflexi, reverenter collocat, et statim genuflectit. Episcopus capit calicem, ubi est Sacramentum, velo, ut pridie, coopertum, ambabus manibus, velo, quod circum humeros habet, coopertis, et surgens, illud portat reverenter sub baldachino, quod deferunt Beneficiati parati cum pluvialibus, si haberi poterunt, et his deficientibus, cum cottis præeuntibus Capellanis cum funalibus accensis, et duobus Acolythis cum duobus thuribulis, continuo incensantibus Sacramentum;

et revertitur ad altare eodem ordine. Cantores cantant Hymnum *Vexilla Regis prodeunt*, etc.

32. Cum autem pervenerit ad cancellos altaris, vel, ubi non sunt cancelli, ad gradus Presbyterii, removetur baldachinum, et Diaconus Evangelii, genuflexus ante gradus altaris, accipit SS. Sacramentum de manu Episcopi stantis, illudque reverenter collocat super altare. Episcopus, deposito velo, genuflectit super pulvino in primo gradu altaris, mox surgit, et ministrante, Presbytero assistente, ponit incensum in thuribulum, absque benedictione, et iterum genuflexus, Sacramentum incensat triplici ductu, et ascendit ad altare, et extrahit Sacramentum de calice, et ponit supra patenam, quam Diaconus tenet, et accipiens patenam de manu Diaconi, sacram hostiam ponit super corporale, nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vase: Canonici et alii de choro, in duplici gyro, genuflectunt in plano ante altare: et Capellani hinc inde tenent funalia accensa usque post Communionem. Diaconus autem, observata cæremonia prægustationis vini et aquæ, ut habetur in *Capite VIII. §. LXII. hujus Lib. II. de Missa solemni*, Episcopo celebrante, ponit vinum in calicem, et Subdiaconus aquam, quam Episcopus non benedicit, nec dicit super eam Orationem consuetam, sed accipiens calicem a Diacono, ponit super altare, nihil dicens, et Diaconus illum cooperit palla.

33. Deinde Episcopus, ministrante Presbytero assistente, ponit incensum in thuribulo, absque benedictione, et incensat oblata, et inde crucem et altare, more solito, genuflectens ante et post, et quancumque transit ante SS. Sacramentum; cum incensat oblata, dicit *Incensum istud*, etc., cum incensat crucem et altare, dicit *Dirigatur Domine*, etc., quando dat thuribulum Diacono, dicit *Accendat in nobis*, etc., et ipse non incensatur.

34. Postea aliquantulum extra altare in cornu Epistolæ lavat manus, nihil dicens; deinde in medio altaris inclinatus, junctis manibus, dicit *In spiritu humilitatis*, etc.,

deinde versus ad populum in cornu Evangelii, dicit more solito *Orate fratres*, et per eandem viam revertitur, non perficiens circulum; et statim, omissis aliis, dicit in cantu feriali *Oremus: Præceptis salutaribus*, etc., et dicto sub silentio *Amen*, eadem voce qua dicit *Pater noster*, absolute dicit *Libera nos*, etc. Mox genuflexus supponit patenam Sacramento, quod dextera accipiens, elevat, ut videri possit a populo, et statim supra calicem dividit in tres partes, quarum ultimam mittit in calicem, more solito, sed sine signo crucis, nihil dicens. *Pax Domini*, etc., non dicitur, nec *Agnus Dei*, etc., neque pacis osculum datur.

35. Postea, prætermisiss duabus primis Orationibus, dicit tantum *Perceptio Corporis tui*, etc., tum genuflectit, et accipit patenam, cum corpore Christi, et maxima humilitate, ac reverentia dicit *Panem celestem accipiam*, etc., postea signat se Sacramento, dicens *Corpus Domini nostri*, etc., et sumit corpus reverenter: deinde, omissis omnibus, quæ dici solent ante assumptionem sanguinis, immediate particulam hostiæ cum vino reverenter sumit de calice, et more solito facta ablutione digitorum, infundente vinum Diacono, et sumpta purificatione, in medio altaris inclinatus, manibus junctis, dicit *Quod ore sumpsimus*, etc., et non dicit *Corpus tuum Domine*, etc., nec Postcommunio, nec *Placeat tibi*, etc., nec datur benedictio; sed statim Episcopus vadit ad cornu Epistolæ, ibique cum mitra lavat manus cum solitis cæremoniis: deinde ascendit ad sedem suam Episcopalem nudam, ubi deponit sacra paramenta, et assumit cappam laneam violaceam: interim omnes alii deponunt paramenta, et postea statim dicuntur Vesperæ; et in fine Episcopus descendit, et genuflectit ante altare super genuflexorio nudo, cum dicitur *Christus factus*, etc., et finito Psalmo *Miserere mei Deus*, etc, dicit Orationem *Respice, quæsumus Domine*, etc., et revertitur ad domum suam, ordine, quo venit.